


05

A

2226





7173 24  
EXERCITATIO THEOLOGICA  
*De*  
PERSONA SPIRITUS SANCTI

Photinianis cum primis opposita

*Quam*

*Sub*

Gratioso DEI ter opt. Max. auspicio

&

PRÆSIDIO

VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi*

DN. PAULI RÖBERII

S.S. Theol. D. & P. P. celeberrimi, Pastoris ac Superintendentis meritissimi, Præceptoris ac Promotoris sui filiali observantiâ ætatem suspiciendi

Ventilationi publicæ subijcit

M. CHRISTIANUS PARNEMAN

Calbens. Sax.

*In auditorio majori Theologico*

Ad diem 21. Junij horis antemeridianis

---

WITTEBERGÆ

Stanno MICHAELIS Wendt exscripta

ANNO MDC XLVIII.

PROTOSYNEDRII. DRESDENSIS.  
PRÆSIDI. GENEROSO.

CÆTERISQUE. ASSESSORIBUS.

VIRIS. ADMODUM. REVERENDIS.  
MAGNIFICIS. AMPLISSIMIS. CONSVL-  
TISSIMIS. MAGNIS. CIVITATIS.  
LITERARIÆ. COLVMINIBVS.

*Dominis suis Promotoribus ac Patro-  
nis devote venerandis.*

Ἦoc studiorum σύμβολον

*In sui commendationem  
humilimè offeri*



05 A 2226

*M. Christianus Parneman.*

I. N. J.

**A**D fidem Catholicam omnibus salvandis necessariam non confusam & implicitam, sed distinctam & explicitam trium divinitatis personarum cognitionem & confessionem requiri, adeoque Trinitatis non tantum negationem, sed etiam ignoracionem esse damnabilem & cum dispendio salutis conjunctam, tum quoad V. tum N.T. tempora, hanc obscure innuit Salvator noster Job. 17. 3. Job. 5. 23. itemque Athanasius in Symbolo v. 1. 2. 3. Quo verò major est mysterij hujus secretioris, omnemque λόγον, φύσιν & κατὰ δυνάμιν humanam longissime transcendentis, utilitas & necessitas, eò major quoque circa hoc mysterium est Satanae, stygij istius scurræ, πανουργία, ac scurrilitas, qui ita scurriliter tremendum hoc mysterium ludificandum sibi sumpsit, ut verè in ore complurium קַרְשֵׁי הַיָּם, ut Propheta Micheas 1. Reg. 22. 19. seq. de Spiritu hoc mendacise vidisse & audivisse affirmat, etiam quoad hunc ipsum articulum factus censeatur. Ut verò in specie tertia S. S. illius mysterij persona, Spiritus veritatis Job. 14. 17. c. 15. 26. imò ipsa est veritas 1. Job. 5. 6. ita Satanas, Spiritus mendacij l. c. ex 1. Reg. Spiritus vertiginis Esa. 19. 14. in hunc veritatis Spiritum cum primis lingue sue virulente tela vibravit, & absurde, impiè, imò etiam contumeliosè de eo per viperam suam πνευματομάχων progeniem loqui ac docere non exhorruit. Placuit igitur συζητησθαι de Spiritu Sancto Theologicam, presertim cum & tempus jam presens id suadere videatur, quod de eo in Ecclesiâ agi consuevit, exercitij loco placide ventilationi subijcere, & contra Adversariorum Φλυαρίας ὀρθοδοξίαν pro ingenij modulo tueri. Quare ut studijs hisce nostris benè cupiens gratia & auxiliij sui nutu annuat is idem Sp. S., rogamus submissè. Sit igitur.

A 2

THEORE.

## THEOREMA I.

*Spiritus S. est persona peculiaris à Patre & Filio realiter distincta.*

§. 1. PROBATIO. Prætermisâ ac sepositâ nominis evolutione ac variâ significatione, quam observârunt cum primis Chemn. in LL. Flacius in Clavi, Gerh. in LL. & alij, statim ipsam *πραγματολογίαν* assumimus. Ut verò singularum personarum, ita in specie Spiritus Sancti theoria absolvi potest consideratione 1. discriminis personalis 2. veræ Deitatis, & 3. personalis proprietatis. Ad quæ tria membra revocari possunt omnia, quoad hunc articulum controversa. Discrimen autem personale meritò primo loco pono, cum divinitas apodicticè magis probari queat, probatâ prius personalitate, adeò ut Valent. Smalz. in refut. Disp. D. Gravv. de Spiritu Sancto. p. 6. expressè sic scribat: Si constaret, Spiritum S. esse personam, jam necessariò etiam constaret, eum esse DEUM.

§. 2. Discrimen igitur personale (1) gravissimè omnium probatur ex Christi testificatione Joh. 14. 16. 17. & 26. ubi distincta personalitas occurrunt documenta *αὐτὸ πρὸς ὑπερξέως* Spiritui Sancto proprio videlicet à processione, quæ liquet ex voce *πνεύματος* v. 26. primariò enim Spiritus dicitur ob proprietatè personalem, quia spirando producit à Patre & Filio; Unde Aug. 5. de Trin. c. 11. disputans tur in scripturâ nullibi dicatur Deus Pater Spiritus S. cum tamen vocetur Spiritus & etiam Sanctus, confugit ad hanc appellationis rationem, quod Sp. S. propriè dicatur à spirando, & relativè opponatur Patri; & expressè patet ex c. 15. Joh. 26. Jam procedens, & is à quo fit processio, omninò differunt realiter. Cui conjungitur argumentum, petitum β. à personali adjectivo *ἄλλος*, quod procedat tanquam alius v. 16. *Ἄλλοτης* illa notat aut alietatè essentiæ, aut in eadem essentia distinctas à distincto principio provenientes operationes, aut alietatem personæ. Primū thes. Photin. à quib9 Sp. S. esse ipsa DEI virtus asseritur, Secundum ipsi essentiæ divinæ contrariatur; Manet ergò tertium, sc. notari distinctionem à Filio, qui rogaturus est Spiritum S. & à Patre, à quo eum rogaturus est. γ. à generum *ἐτερώσει* v. 26. it. c. 16. 26. ubi post neutrum τὸ πνεῦμα ἁγίου sequitur masc. *ἐκεῖνος*, quod sine dubio notat,

est, de personâ subsistente sermonem institui. Vid. loca similia, ubi per generum mutationem personæ denotantur Matth. 28. 19. Gal. 3. 16. Col. 2. 19. Gen. 3. 15. Conf. hâc de re B. Chemn. in Loc. de Spiritu S. f. 98. c. 4. n. 2. d. ab attributis personalibus, ijsq; distinctis ab attributis Patris & Filij. Dicitur enim *παρὰ τὴν ἡμετέραν* v. 16. manens nobiscum v. 17. mitti dicitur à Patre v. 26. docere nos ib. testimonium perhibere c. 15. 26. Unde ita inferri potest: Cui competunt opera solis personis propria, is non est virtus Patris, sed persona, eaque distincta à Patre, Virtus enim Patris non est *αὐτῆς* à Patre, Et actiones propriè sunt singularium, ut singularia sunt, Scal. ex. 281. ex. 1. Met. c. 12. At Spiritui S. &c. Ergo.

S. 3. (2) Distinctio personalis patet *ex illustri in Bapt. Christi factâ patefactione* Matth. 3. 16. ubi discrimen illud personale Sp. S. probatur *tum* ex nomine distincto, quando is, qui in specie corporali columbæ descendit, vocatur Spiritus DEI; *tum* ex distincto Symbolo, quando se manifestat in specie columbæ Corporali; *tum* ex distincta actione s. officio, quando descendit, & super Christum manet, Quod si verò per modum attributi essentialis esset in DEO, certè ita assumptâ visibili & Corporeâ specie non appareret. Gerh. Hag. 3. c. 6. (3) *Ex clarâ Bapt. institutione* Matth. 28. 19. ut in hac institutione Pater distinguitur à Filio, ita & Sp. S. à Patre & Filio, cum sine discrimine conjungantur, & ratio diversitatis assignari nequeat; At Filius ut persona distinguitur à Patre E. etiam ita Spiritus S.

S. 4. VINDICATIO. *Nudam Virtutem* DEI Patris Spiritum S. dicunt Photin. Socin. in animadv. ad assert. 14. Colloq. Posn. ut & tr. de DEO Christo & Sp. S. & in refut. Wiek & Bell. Enjed in explic. loc. V. & N. T. p. 286. 287. Cat. Racov. c. 6. p. 249. Ostorod. in Instit. c. 4. p. 32. 33. DEUM esse concedunt, ita enim Ostorod. Non negamus, quoniam Sp. S. de naturâ DEI est, quod sit DEUS, in disp. Germ. Tradel. oppos. part. 2. c. 12. sed eo modo intellectum volunt, quo justitia, misericordia, & omnia, quæ in DEO sunt, pro DEO reputantur, non quod sit persona realiter à Patre distincta. Operationes personarum Spiritui S. adscribi admittunt; sed tales etiam non raro tribui rebus, quæ non sunt personæ & vera *ὄψια μίνα*, regerunt Cat. Rac. c. 6. p. 248. proinde figuratè id fieri & per *προσωποποιίαν*. explicant. Enjed. in expl. loc. p. 289. 290. Smalz. in ref. disp. Gravv. de Sp. S. p. 6.

A 3

Soc

Soc. in ref. Wiek. & Bell. c. 10. p. 488. Unde & talia Spiritui S. in Scri-  
pturis attribui dicunt, quæ aliàs personæ non conveniunt. Cat. Rac.  
c. 6. p. 245. Socin. in lib. Quod regni Pol. it. in tr. de DEO Chr. & Sp. S.  
p. 117. ut & in ref. Wiek. c. 10. p. 492. Smal. con. Schöp. it. contra  
Gravv. p. 17.

§ 5. Sed ad huc firma stat nostra thesis. *1.* Concedamus Spiritum S. appellari in Scripturis *δύναμις ἐξ ὑψῶς* Luc. 24. 49. Virtus tamen illa nec est *accidentalis*, cum sic DEUS ex substantiâ & accidentibus componeretur, & summa DEI simplicitas tolleretur; nec tantum *essentialis*, nulla enim divina virtus essentialis absolutè accepta in S. literis usquam vocatur Jehova, Dominus & DEUS, quemadmodum ita Sp. S. appellatur. Vid. th. 2. sed *ὁπρὸς αὐτὴν* & *substantialis*, adeoq; persona divina à Patre & Filio realiter distincta, ut ex *θεοφωσία* in Bapt. Christi factâ & ex institutione Bapt. liquidò conspicuum est V. §. 3. Et sanè ex appellatione virtutis DEI personalitatem negari, contrarium est ipsis thes. Photin. qui Christum personam esse fatentur, qui tamen virtus DEI altissimi dicitur J. Cor. 1. 24. Luc. 1. 35. Vid. tamè de Luc. 24. Feurborn. Anti-Ostor. disp. 5. th. 21. 2. Figuratas locutiones in Scripturis non esse infrequentes, haut inviti largimur, ast hinc inferre, tales etiam eas esse, quæ de Sp. S. dicuntur, consequens est inconsequens. *α.* enim, Etsi quandoque rebus tribuantur propria quædam personæ, non tamen omnia, adeoq; non integra competit personæ definitio, sed tantum pars quædam definitionis; Spiritui S. plena definitio personæ tribuitur. *β.* De rebus, quæ non sunt personæ, Scriptura non semper uniformiter loquitur, sed sicubi fortè figuratè illas introduxit, mox alibi de illis propriè loquitur, & accidentia res illas esse satis superq; demonstrat; At secus fit de Spiritu S. ubi perpetua Scripturæ uniformitas actiones illas non figuratè sed propriè intelligendas esse, satis manifestat. *γ.* Res illæ ab Enjed. Smalz. alijsq; ejus manipularibus allegatæ, quibus actiones personales tribuuntur, considerantur vel concretivè, vel abstractivè. Actiones illæ rebus istis competunt non simpliciter, per se & abstractivè consideratis, sed ratione certi alicujus suppositi, cui inhaerent. De Spiritu S. hoc dici nequit. 3. Quando quædam Sp. S. tribuuntur, quæ personæ non competunt, illa tribuuntur non absolutè, propriè & rationè essentiali, sed limitatè, per Metalepsin causæ



sæ pro effectu, s. resp. *χαρισμάτων*, quæ dona, quia nō sunt sejuncta à Sp. S. sed cum gratiosa ejus præsentia semper conjuncta hinc de Sp. S. ipso mediatè dicitur, quod immediatè & propriè de donis dici intelligitur.

## THEOREMA II.

### *Persona Sp. S. est verè divina persona.*

§. 6. PROBATIO. Probatà Sp. S. personalitate recto tramite probatur ejus divinitas. Demonstratur illa ex attributione (1) *Nominum divinorum*, tum in V. T. ubi sæpius appellatur *יהוה*, ut ex collatione locorum patet. Vid. præ cæteris Gerh. L. de Sp. S. §. 24. seq. tum in N. ubi occurrit vocabulum *κυρις*, nomini Jehova solius DEI proprio, respondens 2. Cor. 3. 17. 1. Cor. 12. 5. & nomen DEI, in propriâ illâ significatione, quâ vero DEO tribuitur, Act. 5. 3. ubi immediata oppositio DEI & hominis necessariò infert, Spiritum Sanctum ibi vocari DEUM. Argumentum autem in formâ Syllogisticâ, quale formari ex eo loco posse negat Smalz. in ref. thes. Graw. de Sp. S. p. 8. ita habet: In quemc. terminativè Ananiæ fertur mendacium, is est DEUS. At in Sp. S. E. Major ex contextu patet, in quo discrete dicitur, quod Ananias DEO mentitus fuerit v. 4. Etsi enim Apostolos se fallere existimabat Ananias, terminativè tamen id non in Apostolos, sed in ipsum terebatur Sp. S. Minor patet ex v. 3. Cur Satanas implevit cor tuum *ψεύσαδάς* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Syrus Interp. & Arabs addunt partic. *εἰς*, quam etiam subintelligendam esse monet Glafs. Gram. S. p. 500. Sed notandum est, ex indole Græcæ linguæ *ψεύσαδάς πνεῦμα*, & *ψεύσαδάς πνεύμα* esse phrasas *ισοδυναμῆτας*, unde & v. 4. accusativus exponitur per Dativum & v. 9. exponitur per *τὸ περιῶσαι τὸ πνεῦμα κυρις*, quod inepte explicaretur de donis, ut Smalz. in ref. Graw. de Sp. S. p. 5. & Enjed. in loc. ad h. l. volunt. Similem constructionem animadvertere licet in aliis vocibus, exempli loco est *εὐαγγελίζεν* Luc. 3. 18. c. 4. 18. Act. 5. 42. Gal. 1. 23. Vid. porrò 1. Cor. 3. 16. 17. ubi pii templa DEI dicuntur, per *ἀλολογία* subjunctam, quia Sp. S. in ipsis habet Conf. etiam 1. Cor. 6. 19. 10.

§. 7. Demonstratur porrò Deitas Sp. S. (2) Ab attributione *proprietasum divinarum tum essentialium*; Tales sunt omniscientia 1. Cor. 2. 10. Esa. 40. 13. Omnipræsentia *ψ.* 139. 67. Sap. 12. 1. Omnipotentia

potentia I. Cor. 12. 11. Luc. 11. 26. æternitas Hebr. 9. 14. Gen. 1. 2.  
 Conf. h. l. cum  $\psi$ . 33. 6. & attende significationem vocabuli  
 אֶפְרַיִם אֶרֶץ אֱנֹכִי, quod non tantum significat ferri, ut exponit  
 Vulg. & LXX. Interp. sed juxta Basil. in Hexaëm. fovere vitali ca-  
 lore instar gallinæ super ova incubantis quod dici potest *neq; de igne  
 Elementari*, quem nomine Spiritus intelligere vult Franc. Valles. p.  
 28. de sac. Phil. *nec de Angelo creato*, ut vult Cajetanus, *nec de Vento*,  
 ut volunt pleriq; Rabbini & Goslav. sed *de virtute DEI hypostatica à  
 Patre & Filio distincta; tum personalium*: Ex personali etiam pro-  
 prietate, quæ est æterna à Patre Filioq; processio, haut infirmum ta-  
 le petitur argumentum. Quic. procedit ab æterno à DEO, is est vel  
 DEUS, vel Creatura, tertium enim non datur contra Goslav. in ref.  
 Keck. p. 1. cap. 5. pag. 83: Creaturam non esse ipsi Photiniani con-  
 cedunt Ostorod. contra Tradol. part. 1. c. 12. p. 81. Soc. contra Wick.  
 & Bell. cap. 10. p. 499. cum sc. creatura ab æterno esse non possit.  
 Erit ergo DEUS. Ex quo argumento simul infringitur explicatio  
 Smalzii in ref. th. Franz. p. 8. quod ideò Sp. S. à Patre dicatur proce-  
 dere, quia dona illa Sp. S. Patrem supremum & primum habeant  
 autorem. Non sanè ita planè sunt omnia, ut ipse gloriatur, sed pro-  
 cedit ut DEUS.

§. 8. (3) Ab attributione operationum divinarum. Tales  
 sunt vel potentia, vel gratia: *Opera potentia sunt Creatio*, Hæc cum  
 significet productionem rei ante non existentis, divinam indicat  
 agendi vim, proinde soli DEO convenit Vid. Gen. 1. 2.  $\psi$ . 33. 6. Et non  
 per Sp. S. tanq. per Instrumentum, ut excipit Socin. sed ut per Crea-  
 torem res creatas dici, apparet ex eo, quod etiam in casu recto Spiri-  
 tus dicatur omnia fecisse Job 33. 4. ubi Jobum de sui ipsius formatio-  
 ne & creatione mediata loqui apparet ex contextu. In Hebr. est  
 הָשֵׁוּ, quod de creatione aliquoties usurpatur Gen. 1. 32. c. 2. 2. signi-  
 ficat autem parare, aptare, atq; ita ad creationem secundi generis  
 pertinet. Ad opera potentia porrò refertur *Rerum conservatio*  $\psi$ .  
 104. 30. Cap. 12. 1.  $\delta\alpha\upsilon\mu\alpha\lambda\gamma\epsilon\gamma\iota\alpha$  sive *miraculorum operatio* Ex. 8. 19.  
 Act. 10. 38. *virginis fecundatio* Matth. 1. 18. 20. Cæterum *opera gra-  
 tia*, quæ presupponunt opera potentia, ratione principii per se o-  
 perantis manifestius divinam essentiam ostendunt. De his operi-  
 bus agitur I. Cor. 12. quæ v. 1.  $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota\kappa\alpha$  vocantur, quia sunt à  
 Sp. S.

Sp.S. Hæc dividi à Sp. S. dicuntur, prout vult v. 11. Unde ita argu-  
mentamur: Qui opera divina intelligens & volens peragit, is utique  
est persona divina. At Sp. S. E. Sunt a. illa opera gratiæ duo-  
rum generum: *Quædam* in Capite Ecclesiæ, Christo, secundum hu-  
manam sc. naturam, efficit, ut sunt missio, unctio, conceptio &c.  
*Quædam* in membris Christi credentibus, eaque tum *sanctificantia*,  
tum *ministrantia*. Vid. de his Gerh. LL. de Sp. S.

§. 9. (4) Ab attributione *honorum divinorum*. α. Jubetur adora-  
ri 1. Cor. 6. 20. ubi in præced. agitur de Sp. S. quod nos ejus templa  
simus, jam subjicit, Spiritum S. esse adorandum, quia habitat in no-  
bis. Actu etiam adoratur *tum* à Seraphim: Is enim qui Prophetæ  
dixit: Vade, obtura aures &c. adoratur ab Angelis Esa. 6. 3. 5. 6. At  
Spiritum S. ea dixisse testatur Apostolus Act. 28. 25. *tum* ab homini-  
bus, in speciez. Cor. 13. 13. à Paulo, qui precatur à Sp. S. communica-  
tionem gratiæ Patris, quam eo modo tribuit ipsi, quo gratiam Chri-  
sto, & charitatem DEO. β. In nomine ejus baptizamur Matth. 28.  
29. At Bap. est stipulatio, ἐπερωτήματα bonæ conscientiæ εἰς τὸν Θεόν  
1. Pet. 3. 21. Et in nomen Sp. S. baptizari notat ex institutione, ordi-  
natione, operatione, invocatione & in salvificâ fide Sp. S. hominem  
baptizatum in fœdus gratiæ divini recipientis & salvantis, baptiza-  
ri. Baptizari ergo in nomen Sp. S. indistinctè includit & complecti-  
tur divinum cultum & honorem. γ. Per nomen ejus potest jura-  
ri Rom. 9. 1. At per nomen solius DEI jurari debet Deut. 6. 13. cum is  
solus sit κατὰ γνώσιν & abdita cordium respiciens, qualem oportet  
esse eum, in quo jurari debet. δ. Tandem in ipsum credere nos,  
profitemur in Symbolo Apostolico, ubi vocabulum, Credo, non  
tantum objectum cognoscendum, sed simul ipsam involvit fidem  
complexè, cum non sit nudum objectum *notitiæ*, sed etiam *fi-  
ducia*.

§. 10. VINDICATIO. Audaciter asserunt Photin. Sp. S. nusquam  
disertè atque ad literam in Scripturâ DEUM appellari: Ostorod. in  
disp. Germ. contra Tradel. p. 2. c. 12. Cat. Rac. c. 1. Soc. tract. de DEO  
Christo & Sp. S. Smalz. in ref. disp. Gravv. de Sp. S. 5. Dicunt eo mo-  
do Spiritum S. Deum vocari, quo virtus in DEO DEUS nominari  
possit, Smalz. d. l. p. 6. Ea tribui Spiritui S. quæ vero DEO competunt,  
non quod sit verus DEUS, & persona distincta, sed quod sit virtus &

B

efficacia

efficacia DEI Patris, Soc. contra Bell. & Wiek. p. 488. Ostor. contra Tradel. part. I. c. 12. p. 85. Cat. Rac. major. c. 6. p. 247. Ejusmodi attributa Spiritui S. assignari asserunt, quæ vero DEO non competant, ut quod aliquando non fuerit Joh. 7. 39. quod contristetur Eph. 4. 30. quod descenderit super Christum Matth. 3. 16. &c. Unde & invocationem f. cultum adorationis Spiritui S. adimunt, Ostor. instit. c. 10. Soc. disp. de Invocatione Christi cum Francisco Davide c. 14. part. 3 p. 120. Volckel. l. 5. de Reli. c. 10. Crell. de uno DEO Patre l. 2. sect. 3. arg. 6. Photinianis suffragantur Arminiani in Apol. Conf. suæ c. 3. p. 51. negantes, Spiritum Sanctum ex mandato Christi deberi adorari.

§. II. At salva res est. (1) Audacem illam assertionem, Spiritum S. nunquam disertè appellari DEUM, explosam vid. §. 7. Etsi enim non habeatur in Scripturis *αὐτὸ λέξι & κατὰ ῥητὸν* hæc propositio, Spiritus S. est DEUS, sufficit, quod is, qui nunc dicitur DEUS, mox dicitur Sp. S. adeoq; quod per immotam & indubiam conseq. ex illis deducatur. Et ubi quæso Scriptura *κατὰ ῥητὸν* asserit, Spiritum S. esse virtutem DEI, attributum aliquod DEI essentialia, quale est DEI omniscientia, justitia &c? (2) Spiritus S. est quidem virtus DEI, unde etiam DEI digitus vocatur Luc. 11. 20. sed non est nuda aliqua virtus *ἐνεργητικὴ* essentialis vel accidentalis, sed *ὑποστατική*. Vid. §. 6. (3) Neg. quod ejusmodi in Scripturis Spiritui S. attribuantur, quæ vero DEO non convenient. α. Joh. 7. 39. Spiritus S. nondum fuisse dicitur, non *ratione personæ*, quam c. 1. 33. clarissimè describit Joh. it. c. 3. 6. sed *ratione effusionis illius miraculose*, quæ facta est in die Pentecostes, & ratione donorum, non quidem communium, quibus omnes credentes in filios DEI adoptantur, sed admirandorum illorum, quæ visibili specie accepturi erant, ut patet ex v. 38. 39. Unde Syrus Interp. *ἐξηγήσεως* loco addit verbum *δίδωμι* datus ( Spiritus S. nondum erat datus ) Sed si vel maximè expressè non addatur, tamen subintelligendum illud esse, ex dictis patet. β. Eph. 4. 30. contristari dicitur Sp. S. non propriè, sed *κατὰ ἀνθρώπου πάθειαν*. Hac enim turbandi voce indicare vult Apostolus, Spiritui S. non placere sed absolutè displicere, & immutabili voluntati ejus contrariam esse omnem verborum spurcitiem. γ. Matth. 3. 16. descendit Sp. S.

non

non per essentiam, sic enim infinitus, & nequaquam de loco in locum mobilis, sed per formaliter sibi unitam, ( ut Luth. monet ) assumpta columbae speciem, quæ patefactionis hujus manifestæ Spiritus S. erat organum. s. medium. Et id quidem non ex necessitate, cum & antea, quoad divinitatem, ac humanitatem non caruerit Spiritu S. sed ex *κίνοσι* ac voluntate, ut sc. ex hoc actu ceu solenni declaratione innotesceret id, quod Christus jam antea possederat, sc. quod hic esset ille, qui conceptus foret à Sp. S. & super quem requiesceret Sp. S. juxta vaticinium Esa. 42. *Hunn. Comm. in h. l.* (4) Adoratio contra Photin. & Armin. tum mandatis tum exemplis probata est §. 10. Adde ex Patribus Nazianz. l. 6. de Theol. Chrysin. pecul. homil. de Spiritu S. adorando.

### THEOREMA III.

*Proprietas Spiritus Sancti personalis, est*

*ἡ παρὰ τὸ πατρὸς καὶ τοῦ υἱὸς αἰώνιος ἐκπόρευσις.*

§. 12. PROBATIO. Cum vocabulum *ἐκπορεύεσθαι* (quod paraphrasis Syriaca verbo emanandi exprimit, quo Hilarius etiam usus est lib. 2. de Trin.) *πολύσημον* sit & dicatur de variis rebus, ut de ortu fluminum Gen. 2. 10. de egressu verbi ex ore Matth. 4. 4. de generatione item tum propriâ Jud. 8. 30. cum Metaphoricâ Job. 38. 29. prænotanda est specialis acceptio hujus vocabuli hujus loci propriâ. Sc. τὸ *ἐκπορεύεσθαι* aliquando sumitur in significatione generalissimâ, quando idē significat, quod *ἐξέρχεσθαι*, & hac ratione aliis reb9 creatis passim attributum invenitur, ut exempla allata probant. Adde etiam Matth. 15. 11. Marc. 1. 5. Act. 9. 28. Apoc. 1. 16. &c. aliquando verò accipitur in significatione specialissimâ & appropriativè, prout notat processionem Sp. S. internam & æternam, & opponitur tum τῷ *ἐπέρχεσθαι*, quod processionem Sp. S. temporalem Luc. 1. 35. Act. 1. 8. tum τῷ *ἐξέρχεσθαι*, quod missionem filii notat Joh. 8. 42. quæ acceptio hujus loci est. Estq; hac *ἐκπόρευσις* non recessus quidam ex reliquarum personarum Deitate, isq; vel per modum accidentis ex

Subiecto ( non enim accidens est, sed substantia ) vel per modum substantiæ finitæ ex substantiâ finita, æquè enim immensus est  $\psi$ . 139. 7. *sed* est communicatio divinæ essentiæ, quâ solus Sp. S. à Patre & Filio eam totam accipiendo, ab utroq; personaliter distinctus existit, & interim tamen essentialiter in Patre Filioq; manet. Quamvis autem ita variis rebus tribuatur ἐκπορεύσεως vocabulum, attamen nullibi in Scripturâ S. usurpatur de emanatione Filii *vel* per generationem æternam, *vel* per nativitatem temporalem ex virgine, *vel* per missionem respectu officii. Unde apparet, discrimen inter ipsam spirationem & generationem esse maximum, quanquam id nos in hâc mortalitate plenè capere haut possimus. Vid. infra §. 16.

§. 13. Hanc autem ineffabilem Sp. S. processionem demonstrant (1) dicta in quibus καὶ ῥητὸν ἐκπόρευσις appropriatur Spiritui S. Notandum autem quod in totâ Scripturâ tria saltem occurrant loca, in quibus vocabulū ἐκπορεύεσθαι de hoc mysterio usurpatur: α. Dan. 7. 10. (qui locus à Veteribus quibusdam, cum primis Ruperto Tuitiensi hûc accommodatur. cit. Gerh. Isag. h. l. c. 2.) *Fluvius igneus trahens & egrediens à facie ejus &c.* ubi eadē occurrit vocula, quâ Syrus utitur Joh. 15. 26. sc. ἡ πνεῦμα, quam LXX. reddiderunt per ἐκπορευόμενος. Vid. Gerh. l. c. β. Ap. 22. 1. ostendit mihi fluvium purum aquæ viventis ἐκπορευόμενον ex facie DEI & agni. Quamq. in eo loco propriè agatur de effectis & donis Sp. S. sive de copiosâ Sp. S. in cælestis Hierosolymæ cives effusione, attamen connotat illa ἐκπόρευσις simul ipsam originem & processionem æternam, cum missio in tempore sit manifestatio processionis æternæ. γ. Clarissimus locus, in quo καὶ ῥητὸν Sp. S. dicitur ἐκπορεύεσθαι, est Joh. 15. 26. Spiritus veritatis ὃ ὁ πατὴρ ἐκπορεύεται. (2) ἐκπορεύσθαι illam demonstrat etiam appellatio πνεύματος: Hanc enim potissimam & primariam appellationis istius esse rationem, quod per æternam spirationem à Patre & Filio procedat, dictum est supra §. 2. (3) ἐκπόρευσις illa probatur ex illis dictis, in quibus dicitur Spiritus DEI, Spiritus oris Domini, Spiritus labiorum Domini, Spiritus faciei Domini. Harum enim appellationum ratio alia dari nequit, quam quod à DEO illo procedat. (4) Tandem ex illis dictis in quibus in tempore dicitur mitti à Patre Gal. 4. 6. & Filio Joh. 15. 26. Missio enim passiva in divinis supponit emanationem ( uti liceat hoc vocabulo

bulo cum Hilario ita ut persona ea mitti dicatur, quæ emanavit sive originata est, juxta axioma Theol. Missio passiva in divinis de eâ personâ valet, quæ producta est ab alia. Unde Patri nunquam tribuitur missio passiva, quia à nullo emanavit, Spiritui S. nunq. activa, quia ab eo nullus emanat.

§ 14. Porro hæc ἐκπρόρευσις fieri dicitur ὅτι Ἰῶ πατρὸς καὶ Ἰῶ υἱῶ, tanq. ex uno principio emanationis essentiali quod jam contra Græcos probandum. Probatur id I. *Ex parte Christi* (1) *Ex illo apophthegmate* Joh. 16. 14. Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Unde ita colligere licet: *Quæc. Pater habet, ea etiam sunt Filij* (præter ἀγεννησίαν, καὶ γεννησίαν, ut limitat Dam. l. 1. orth. fid. c. 10. ex August.) *At Pater habet facultatem spirandi Sp. S. E.* Major tum ex l. c. patet tum ex negationis absurdo: Nam si Filius non haberet ea omnia, quæ Pater habet, tum Pater diversa esset substantia à Filio, & non solâ relatione distinguerentur. (2) *Ex Filij activâ missione* Joh. 15. 26. Quem ego mittam vobis à Patre. Hinc tale texitur argumentum: *Quacumq. persona divina habet facultatem mittendi personam ab eâ personâ procedit persona missa, Missio enim passiva præsupponit emanationem in divinis §. præced. 13. At Filius habet facultatem mittendi Sp. S. ex loc. c. E. II. Ex parte Spiritus Sancti* id cum primis probatur ab appellatione. Dicitur enim Spiritus πνεῦμα in plurali Gen. 1. 3. it. Spiritus Christi Rom. 8. 9. Spiritus Filii Gal. 4. 6. Unde tale conficitur argumentum: *Qui plurium dicitur Spiritus, is non ab uno tantum spiratur: At &c. item: ob quam rationem Sp. S. dicitur Sp. Patris* Matth. 10. 20. *ob eam etiam rationem dicitur Spiritus Filij cum ratio diversitatis dari nequeat: At Spiritum Patris dici ob spirationem ipsi admittunt Græci & patet ex Joh. 15. 26. E. Vid. de hoc Gerh. in LL. it. T. 2. Witt. disp. 13. de process. Sp. S. & alios.*

§ 15. *An autem plenius & perfectius spiret Pater quam Filius?* id itidem neg. Non enim Pater & Filius sunt duo spiratores, propter unam indivisam spirationem, in quâ sub essentiæ unitate sunt unum essenziale principium & unum συνδυαζόμενον, quamvis sint duæ personæ spirantes propter suppositorum pluralitatem. Hieron. quidem asserit, Spiritum S. *proprie*, August. *principaliter* eum à Patre procedere. Verum respexerunt illi ad discrimen illud, quod Pa-

ter facultatem illam Spiritivam habeat ἀμέσως à seipso, Filius autem à Patre ἐμμέσως per ineffabilem generationem acceperit, non autem hoc isti intenderunt, quod magis & plenius Pater spiret, quam Filius, sic enim inæqualitatem majestatis stabilirent.

§.16. Cæterum cum processionis & generationis vocabulis hoc significetur, essentiam ab alio accipere, decidenda est adhuc quæstio, *An Spiritus S. æquè genitus dici possit, ut Filius?* Ubi negat. Resp. et si enim commune quid habeant Filius & Sp. S. sc. productum esse & essentiam à Patre accepisse, modus tamen productionis est diversissimus: Productio enim Filii fit per modum generationis; Spiritus S. autem productio per modum spirationis. Spiritus S. igitur nec genitus, nec Filius Patris dici potest. *Quomodo autem præcisè distinguatur modus processionis à generatione*, nemo perfectè hæctenus penetrare potuit, neq; etiam investigari debet, ut gravissimè monet Nazianz. in orat. de statu Episc. sic enim ibi scribit: *αὐθίς ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ πορεύον διπλῶ παλῶσ, τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμονεῖ.* Solent tamen excogitare distinctiones Scholastici *tum ratione principii*, generationem Filii esse à solo Patre, Spirationem autem à Patre & Filio simul, *tum ratione modi*, generationem fieri per intellectus modum, Spirationem autem per modum voluntatis; *tum ratione termini*, per generationem produci personam, quæ adhuc aliam producere possit, per spirationem autem producitur personam, à quâ nulla emanet persona. Sed istæ rationes tantum afferuntur ad illustrandam non ad probandam & confirmandam rem, cum Scriptura de iis nobis parum revelet. Rectè monet Biel. l. 1. sent. dist. 13. q. un. primam rationem petere principium cum manifestet, non quid, sed à quo fit spiratio. De secundâ ratione dicit: Valeat, quantum potest. Et sanè, cum intellectus & voluntas sint unum quid in & cum essentiâ divinâ, facile ex eo patet, quantum huic rationi sit tribuendum. Tertia ratio non tam ipsam generationem & spirationem, quam effectum describere videtur generationis & spirationis. Ignorantiam hæc in re suam piè fatetur August. *Distinguere nescio, inquit, non valeo, non sufficio.* Naz. l. 5. de Theol. R. *Dic tu mihi quid sit generatio, & ego dicam tibi, quid sit processio, ut ambo insaniamus, DEI decretis rimando.*

§.17. De



§.17. De cæteris, quæ occurrunt, quæstionibus, habe bre-  
viter, ut *An Spiritui S. possit tribui ἀγεννησία?* R. Neg. cum hæc sit  
ἡρώπας ὑπάξεως Patri soli proprius, quo à Patre Filioq; distingui-  
tur, & licet vocis sono hic terminus videatur esse negativus, tamen  
revera aliquid affirmat, videl. Patrem esse à seipso, quod Spiritui S.  
non competit, in quo Deitas non est ἀγεννήτως. Interim vid.  
Broch. in Syst. h. l. c. 2. q. 2. Gerh. T. 1. LL. de DEO Patre fil. §. 5. Hut. A.  
C. disp. 4. de Sp. S. th. 46. seq. *An Spiritus S. processerit, an adhuc  
procedat?* R. Nec generationem nec processionem ex temporum  
differentiis esse æstimandam, cum in æternitate neq; præteritum,  
neq; futurum detur, sed præsentissimum sit vñ. Procedit ratione  
perpetuæ emanationis, processit, ratione omnimodæ perfectionis.  
*An in credentibus habitet essentialiter, an virtualiter?* R. modo utroq;  
tum quoad personam Gal. 4. 6. Rom. 8. 11. tum quoad dona s. gratiam  
Num. 11. 17. 2. Reg. 2. 9. Manet interim utiq; discrimen inter Spiritum  
S. & dona. ejus, inter Autorem & ejus effectus, inter Spiritum S. i-  
psum & ejus fructus, contra Lomb. statuentem, Charitatem, qua di-  
ligimus & Deum & proximū, esse ipsam Sp. S. personā contra 1. Cor.  
12. 21. 1. Cor. 13. 1. Gal. 5. 22. Vid. Gerh. 5. in LL. § 93. seq. Chemn. 3. in LL.

§. 18. VINDICATIO. Photiniani negantes personalem Sp.  
S. subsistentiam, omnes etiam hanc negant spirationem, tum in ge-  
nere. Ita Soc. in anim. in ass. 15. inquit: Spiritus S. à Patre & Fi-  
lio æternā processionem tanquam ab uno principio procedere, ap. Sa-  
cros Autores nusquam legitur. Idem in def. animad. c. 13. p. 319. Ex  
vocabulo processionis, ait, saltem potest ostendi, Spiritum S. ejusdē  
esse essentiæ cum DEO Patre; Processionem a. personæ repugnare  
ajunt Smalz. contra Schopp. & contra Graw. p. 17. Socin in tract. de  
Christo & Sp. S. p. 113. tum in specie processionem à Filio cum Græ-  
cis negant Photin. ita Smalz. in ref. disp. Gravv. de Sp. S. p. 20. inquit,  
posse aliquem mittendi Spiritum S. potestatem habere, à quo tamen  
non procedat eo modo, quo à Patre procedit. Socin. in anim. assert.  
6. p. 64. dicit, Sp. S. non mitti eā potentiā ac virtute à Filio, qua mitti-  
tur à DEO Patre. Hinc Spiritum S. dici Spiritum Christi ajunt, vel  
quia de Christo testatus sit, vel quia Christus illo præditus fuerit, vel  
denique quia ipse etiam eundem det & largiatur, datum sc. & con-  
cessum.

cessum à Patre, ita Smalz. in ref. disp. Gravv. de Sp. S. p. 14. 15. idem in ref. th. Franz. p. 8. Socin. in anim. super Coll. Posn. p. 64. Recentiores Græci, se male ita loqui, dicunt, Spiritum S. à Patre per Filium procedere.

§. 19. At nugæ sunt. (1) Concedimus, processionis vocabulo ostendi identitatem essentia cum DEO Patre, at simul distinctionem personæ innui, inde elucescit, quod ut *ἀλλος* procedat, quod de essentia dici non potest. Vid. sup. (2) Personam de personâ non posse procedere, refutatur *partim* per instantiam, petitam *tum ex natura*: Filius enim in humanis à Patre, tanquam persona à personâ emanat per modum naturalis generationis, Vid. jud. 8. 30. ubi *ἐκ πορευόμενοι* dicuntur 70 filij de femore Gideon, *tum ex Scripturâ*, ubi Christus habitare in Cordibus nostris, Christum nos induere, esse nos ex DEO, manere DEUM in nobis dicitur, nec tamen idcirco vel Patrem vel Filium personam esse ipsi Photin. negant; *partim* per distinct. inter *processionem naturalem ac temporalem*, & inter *hyperphysicam ac æternam*. Non *hæc*, quæ fit per modum simplicis spirationis, sed *illa*, quæ per modum alicujus transmutationis in rebus naturalibus perficitur, repugnat personæ. (3) Eandem virtutem spirandi & mittendi adscribi Filio, quæ est in Patre, clarè patet ex Joh. 16. 13. 14. & ratione etiam claret, cum missio in divinis semper supponat emanationem, ac id, in cujus potestate illud non est, nemo possit mittere Vid. Stegm. Phot. d. 6. q. 5. (4) Phrasis Græcorum Recentiorum, Spiritum S. à Patre procedere per Filium admitti potest, si ordinem suppositorum s. personarum, non si inæqualitatem virtutis spirativæ intendat. interim melius est, non tantum cum Ecclesiâ sentire, sed etiam cum eâ loqui adeoque verius dicitur, Spiritum S. procedere à Patre & Filio. Vid. Gerh. in L. §. 85. Hutt. A. C. l. d.

F I N I S.


in  
es  
m  
  
o-  
m  
n-  
fe  
ä:  
at  
ot  
us  
o,  
el  
er  
r-  
æ  
r,  
d-  
t-  
ac  
n.  
â  
m  
n-  
eâ

05 A 2226

ULB Halle 3  
003 792 757  





EXERCITATIO THEOLOGICA  
*De*  
PERSONA SPIRITUS SANCTI

Photinianis cum primis opposita

*Quam*

*Sub*

Gratioso DEI teropt. Max. auspicio

*et*

PRÆSIDIO

VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi*

DN. PAULI RÖBERII

S.S. Theol. D. & P. P. celeberrimi, Pastoris ac Superintendentis meritissimi, Præceptoris ac Promotoris sui filiali observantiâ ætatem suspiciendi


Ventilationi publicæ subijcit

M. CHRISTIANUS PARNEMAN

Calbens. Sax.

*In auditorio majori Theologico*

Ad diem 21. Junij horis antemeridianis



WITTEBERGÆ

Stanno MICHAELIS Wendt exscripta

ANNO MDC XLVIII.